

# Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Samuelis De Cocceji, Henr. Fil. Sacræ Regiæ Majestatis  
Borussicæ Magni Cancellarii, A Consiliis Sanctioribus  
Status Et Rei Bellicæ, Ordinis Nigræ Aquilæ Equitis Etc.  
Jus Civile Controversum Ubi ...**

Opus Ad Illustrationem Compendii Lauterbachiani ...

**Cocceji, Samuel von**

**Lipsiæ, 1766**

LIB. XXIX. TIT. II. De Acquirenda Vel Omittenda Hæreditate.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-9050**

hujus vero plane extinguntur: prout pluribus, & eleganter hoc deducit *Gronov. d. §. 6.* Et licet *Grot.* contra hoc regerat, quod alia ratio sit in corpore civili, quod voluntate contractum est; primæ-vam vero voluntatem eorum, qui primi talem societatem contraxerunt, inspiciendam esse, qui minime credi debent voluisse, ut jus esset corpori partes invitas & abscindere a se, & alii in deditionem dare; id tamen vanum, & inane est, nam jam supra diximus ex hujusmodi hariolationibus & divinationibus nullum jus certum, nedum naturale deduci posse. Quod si liceret tales conjecturas voluntatis primorum hominum afferre, & inde jus statuere, (quod tamen non esset jus Naturæ, de quo hic quæritur,) quæ non exinde orirentur absurditates? Sed & posito, voluntatem primorum hominum societatem contrahentium spectari debere, eamque hic certam esse, ne discederent; id tamen hactenus tantum intelligendum esset, ne sine causa possent discedere. Imo contra, si necessitas accideret, credendum potius est, eas potius voluisse partes separari, quam totam civitatem in discrimen adduci.

## LIB. XXIX. TIT. II.

DE

## ACQUIRENDA VEL OMITTENDA HÆREDITATE.

Qv. I. *An post introductum beneficium abstinendi sui hæredes sint ipso jure hæredes tantum actu primo, an etiam actu secundo?*

**E**quidem ita distinguit Autor, putans, suos hæredes actu primo quidem statim esse hæredes, non etiam actu secundo: at differentia hæc inter potentiam & actum minus apte hic applicatur. Sane suus hæres non nuda potentia, sed & actu hæres est, quod vel exinde apparet: quia nuda sui hæredis existentia multos insignes producit effectus, quos collegit *Dn. Par. in Disp. de Success. nepot.* Nam ex ea valet tutela, *L. 1. de Conf. tut.* Pupillaris substitutio, *L. 41. seq. h. L. 12. de Vulg. subst. L. 28. de Reb. aut. jud.*

At neque acquirit, neque obligatur hæres nisi ex immixtione, *d. L. 12. in f. L. 27. §. 7. ad Sc. Treb. Conf. d. disp.*

Ss 2

Qv.



Qv. II. *Quid requiratur, ut aditio hæredis valeat?*

**R**ESP. Requiritur (1) ADEUNDI FACULTAS, i. e. ut adire possit: nam frustra adiret hæreditatem, quæ v. g. actu delata non est, vel quam acquirere ex ratione juris non potest, *L. 21. §. 2. Et 3. L. 32. h. §. 1. Inst. de Haer. qual. Et diff.* (2) VOLUNTAS ADEUNDI: nam nemo acquirere potest, nisi animum habeat acquirendi, quem proinde declarare debet. *§. f. Inst. de Haer. qual. Et differ.*

Quæri hic solet: an sufficiat, si vere facultas adsit, & an valeat aditio, licet hæres ex falsa opinione adeat? Et recte affirmatur, valere negotium, licet opinio falsa sit; quia (1) plus est in re quam opinione, i. e. plus potest, quam putavit; error enim voluntati & consensui obest, non facultati: eadem enim facultas durat, sive quis sciat, se id posse, sive id nesciat. Hinc (2) etsi quis opinetur, testatorem apud hostes decessisse, falsa hæc opinio non mutat rei veritatem, seu jus adeundi, *L. 34. pr. h.* Eadem jura (3) in aliis causis obtinent, si quis emit rem domini, tanquam alienam, valet emtio, & ex traditione transfertur dominium, quia plus est in rei veritate, quam opinione, *L. 9. §. 4. de Pignor.* (4) Si quis servum suum manumittit, quamvis alienum putet, valet. *L. 4. §. 1. de Man. vind.* item (5) si quis rem suam tanquam alienam legat, valet. *§. 11. de Legat.* Nam omnibus his casibus facultas non deficit, nec voluntas vitiosa est; quia rem alienam emere ac legare, & alienum manumittere jure licet, *§. 4. Inst. de Legat. L. 30. §. f. de Act. emt.* Denique (6) si quis a pupillo emit, quem puberem putat, valet ufucapio, *L. 2. §. 15. Pro emt.* quia plus in re est, quam in existimatione.

Sed ais, hic plus esse in opinione, quam re, minus enim in re videtur, quia pupillus est, non pubes.

**R**ESP. Plus juris omnino hic est in re, quam opinione: nam jus oritur ex bona fide, quæ valet, etsi opinio falsa sit: neque hæc opinio jus dat, sed negotium, & res bona fide gesta. (7) Alia exempla, ubi plus est in rei veritate, quam opinione, vide in *L. 2. Pro emt.*

**Exc.** si id, quod putat, & opinione est, turpe aut illicitum, aut contra formam jure præscriptam sit: tum enim, etsi plus sit in veritate, & facultas non desit, deest tamen honesta voluntas; quoties scilicet hæres adit, cum putet, per Leges licitum non esse, etsi



etsi sit licitum, uti si putet, testatorem vivere, etsi revera sit mortuus, *L. 32. pr. L. 13. §. 1. L. 19. h.* testatorem fuisse filium familias, cum fuerit paterf. *d. L. 32. §. f. servum*, cum sit liber, *L. 22. h. se sub conditione institutum*, cum sit pure, *d. L. 32. §. 1.* Ita si is, qui se putat necessarium, velit repudiare, nulla est repudiatio, *L. 15. h. t.* & cum is, qui se putat necessarium, solenni aditione vult acquirere hæreditatem, nulla est aditio, & non obstante illa aditione, adhuc abstinere potest, *L. 16. h. t.* Unde & is, qui hæreditatem delatam ex testamento, quod putat falsum, repudiat, nulliter repudiat, *L. 17. pr. h.* His omnibus casibus plus quidem est in rei veritate, quam in opinione, at hæc ipsa opinio vitiat negotium, quia ex causa, legibus improbata, originem trahit. Idem quoque obtinet, si quis dubitat, an causa lege licita sit, *L. 33. C. h. velle enim non debet*, antequam sciat, jus sibi esse.

Atque hac ratione difficilis doctrina, quando nimirum plus in veritate, quam opinione, vel contra, esse videatur; & quando negotium inde nullum reddatur, vel non; perspicua & clara redditur. Vid. tamen *Don. in L. 15. ff. h. t.*

Qv. III. *An immixtio sui hæredis præsumatur, an probari debeat?*

**R**ESP. Inter præcipuas differentias aditionis extranei & immixtio-  
nis suis hæredis (quas plenius & ex professo tractat *Dn. Parens* *Laut. pag. 504. verb. in Disp. de Success. nep. sect. 3.*) hæc quoque est, quod aditio extranei probanda sit a creditore; *arg. L. 16. L. 23. C. de Probat.* non vero sui hæredis immixtio. Rationes hujus posterioris asserti sequentes exhibet, *diff. Disp. §. 5.* Nam (1) cum suus hæres ipso jure & sine facto suo hæres fiat, etsi rejicere hoc jus possit, utique non illud probari debet, quod juris est, scil. eum hæredem esse factum, sed hoc quod facti est, eum abjecisse jus suum, lege quæsitum. Atque adeo (2) non videtur defendi posse, quod *Dd.* communiter supponunt, immixtionem facti esse, & ideo probari debere: nam jure semel quæsito & constituto, dicendum contra, ejus abjectionem facti, & probandam esse. Nam & (3) si forte non constet Dominum rebus ac juribus suis usum esse, non tamen illa derelicta vel amissa ideo videbuntur, quod usus & professio facti sint & probari debeant; sed contra, jure semel quæsito certum est, quod ejus derelictio vel omissio probanda sit, *arg. §. 12. verf. naturalem*



*ralem. junct. §. 13. Inst. de Rer. div.* Et (4) cum suus hæres vivo patre quodammodo jam dominus esse, & magis continuare dominium intelligatur, *L. 11. ff. de Lib. Et post.* non magis hæc continuatio, quam domini domini rerum suarum continuatio probanda est. Neque vero (5) beneficium Prætoris, quod suis datum est, in immiscendo, sed abstinendo consistit; neque illis potestas immiscendi, quam ex ipsa lege habent, sed abstinendi a Prætoris data est. Non itaque, an se immiscuerint, sed an abstinuerint, quæritur & probandum est. Et cum (6) qui sui & ipso jure hæredes sunt, nihil allegare, nec alia re se tueri possint, quam quod usi sint beneficio Prætoris, id est, jure abstinendi, utique is, qui se singulari beneficio contra jus commune usum dicit, id probare debet. Quemadmodum (7) qui adiit, non auditur, si dicat, se non nisi cum beneficio inventarii adivisse hæreditatem, nisi id probaverit. Sed & (8) id omnino manifestum est ex *L. 57. princ. ff. de acq. vel omitt. haer.* ubi dicitur, quod sui hæredes Jure Civili teneantur creditoribus; atqui obligatio est effectus immixtionis, nec tenetur suus hæres, nisi qui se immiscet. Lege ergo Civili quoque suus hæres creditoribus tenetur, adeoque intelligitur, se immiscuisse, atque ex eo jure creditores fundatam, ut ajunt, habent intentionem, quoad probetur voluntas abstinendi. Atque inde (9) in *d. L. 57. princ.* non requiritur, ut voluntas immiscendi, sed ut voluntas derelinquendi declaretur, quæ proinde declaratio necessaria, & indubie facti, atque adeo probanda est. *Hucusque Dominus Prens.*

At ab hoc rigore Juris merito mores recessere, & communiter recepta, variisque præjudiciis confirmata est sententia, quod immixtio sui hæredis, si hic eam factam neget, æque ac aditio extranei probari debeat. *Vid. Dn. Par. d. §. 5. in fin. ibique late Dd. Mev. p. 8. dec. 193.*

Accedit summa æquitas, quod suus non debeat esse deterioris conditionis, quam extraneus, hic vero pro hærede non habetur, nisi id probatum fuerit: sed & tota ratio illius necessitatis hodie cessat, utpote quæ erat effectus rigidissimæ illius patriæ potestatis, quæ cum libertate Germanorum haud consistit.

Atque pro his moribus contra Jus Civile in Curia Halberstadiensi in contradictorio judicatum in causa *Wethgens Ehefrau*, contra *Catharinen Ohlinne*, mens. Jun. 1709. Non autem præcise probari debet, suum hæredem se immiscuisse, sed sufficit aliqualis saltem demon-



demonstratio, quæ ex circumstantiis quoque desumi potest. Atque hinc, si filius diu in ædibus parentis commoratus fuerit, si bona hæreditaria teneat, nec specialem titulum allegare possit, *arg. L. 20. L. 88. de Acq. vel omitt. hæer. L. 1. l. 2. C. eod.* si diu fructus ex fundo hæreditario perceperit, præsumitur pro immixtione, cujus effectus hic est, ut onus probandi transferat in adversarium, *Struv. Ex. 34. th. 22. Mev. p. 2. dec. 142.* Atque ita in Curia Halberstadiensi decisa res est in dicta causa.

Qv. IV. *An hæres, qui moritur, antequam se institutum sciverit, transmittat hæreditatem, etsi non aditam?*

Casus hic esto: Cajus duxit Sejam, (quæ ex priori marito Meviam peperit) & ex ea suscipit Titiam: Idem Cajus Bataviæ Indiarum negotiorum causa degens moritur, & testamento æquis partibus instituit Sejam ac Meviam; antequam vero notitia testamenti ad hæres perveniret, Seja præmoritur: hinc quæsitum fuit; an Mevia ex asse hæres fiat, an vero defunctæ matris filia posterioris matrimonii quoque concurrat? Illud videbatur dicendum quia hæreditas non adita non transmittitur ad hæredem, *L. un. §. 5. C. de Cad. toll.* sed accrescit cohæredi, *d. L. §. 10.* At in præsentī casu verius est, posteriorem quoque filiam concurrere. Nam (1) jus deliberandi intra annum utilem competit hæredi, indubitati autem juris est, illum annum utilem non currere, nisi scienti, per text. expr. in *L. 19. C. de Jur. delib. L. 86. ff. de Acquir. vel omitt. hæer. Rauchb. Et alii apud Brunn. ad L. 19. ff. de Jur. delib.* (2) Moribus Belgii hæres ipso jure in jus defuncti succedit, & quidem citra aditionem, indeque ad suos hæres transmittit, quicquid ex hæreditate consecutus fuisset, *Gudel. J. Nov. L. 2. c. 18.* at hoc testamentum in Batavia, & sic juxta mores Belgicos, conditum est. Unde in Curia Halberstadiensi judicatum, posteriorem filiam pro rata concurrere, in causa Annen Catharinen Rühnin, contra Catharinen Marien Lindtin, d. 25. Martii 1706.

Qv. V. *An partem hæreditatis agnoscens totam agnovisse videatur?*

**A**FFIRMATUR: nam hæreditas est jus individuum, quod pro parte acquirere nemo potest; hinc si pars adita, tota necessario adita videtur. *Laut. pag. 506. verb. si partem.*

Caeterum



Cæterum id verum est, si partem adit, in qua scriptus est, vel se scriptum putat, nec quicquam repudiat.

Sed quid si partem adeat, partem vero repudiet, an, parte expressè repudiata, totum repudiatum videtur?

RESP. Si declaret, se pro parte tantum adire, vel repudiare, neutrum valet, sed nihilominus adhuc adire vel repudiare potest; cum utrumque contra leges fuerit, *L. 1. L. 2. h.* Ex actu autem, qui non valet, non potest obligatio vel jus oriri, imprimis cum grave inde oriatur præjudicium.

OBJ. (1) *L. 20. in f. C. de Jur. del. L. 53. pr. & §. 1. L. 8. §. 1. h.* ubi is, qui partem agnoscit, totam hæreditatem agnoscere videtur.

RESP. Ibi hæres ex parte adire potuit; quia ex partibus scriptus est; ergo reliquæ partes vel statim accedunt, *d. L. 80.* vel postea deficiunt. *d. L. 20. d. L. 53.*

OBJ. (2) *L. 10. h.* ubi ex facto, quo quis unam hæreditatis partem accepit, colligitur pro hærede gestio in solidum, quod proinde secus esse videtur, si declaraverit, quod nolit nisi partem adire.

RESP. Si partem aliquam hæreditatis accipiat, hoc ipso agnoscit totum, ut qui debiti partem solvit, agnoscit totum: nisi aliud appareat; quod fit, si declaret, se saltem pro parte velle adire vel hæres esse; ea enim declaratio contra leges est; Non ergo hæres ibi ait, se partem nolle adire, sed ex facto, quo solvit debitum, totum agnoscere videtur.

Qv. VI. *An is, qui in feudo succedit, totam videatur agnovisse hæreditatem?*

*Laut. pag. 506. verb. aut feudum patris.* RESP. Distinguendo, an filius sit, qui in feudo succedit, an agnatus; illo casu filius, agnoscens feudum, totam videtur agnoscere hæreditatem; hoc casu agnatus, etsi in feudo succedat, repudiare hæreditatem potest.

Ratio differentiarum in eo consistit, quod filius jus suum tam ratione hæreditatis, quam ratione feudi a patre habeat, utrumque igitur unum corpus hæreditatis constituit, quod filius pro parte agnoscere nequit, sed vel utrumque agnoscere, vel utrumque repudiare debet. Aliud est in agnatis, qui jus suum ratione feudi non a defuncto, sed a suo patre habent; non ergo hic unum corpus hæreditatis est, nec proinde agnito feudo, totam hæreditatem agnovisse videtur. Idque disertis verbis ita traditur in *2. F. 45. si contigerit,*



gerit, vasallum sine prole decedere, *AGNATUS*, ad quem uniuersa hereditas pertinet, repudiata hereditate, feudum, si paternum fuerit, retinere poterit &c. Ubi vero *FILIUM* reliquerit, ipse non poterit sine beneficio hereditatem repudiare, sed aut utrumque retineat, aut utrumque repudiet.

Atque hanc differentiam communiter agnoscunt Doctores. *Goth. ad d. 2. F. 45. ibique Trutt. part. 2. Ex. 12. th. 4. pr.* Vid. omnino *Da. Par. in Hyp. Jur. feud. tit. 10. §. 3. 4. & 5.*

*OBJ.* Quod hæres non possit hereditatem pro parte agnoscere, adeoque nec agnatus feudum, repudiata reliqua hereditate adire, *L. 1. L. 2. de Acq. vel omitt. hæc.* sed jam dictum est, feudum paternum ratione agnatorum non esse portionem hereditatis. *Vid. Hyp. d. 1.*

*Qv. VII.* An possessio rerum hereditariarum ipso jure acquiratur?

**N**EGATUR: nam (1) possessiones sunt facti, *L. 1. §. 3. & 4. ff. de Acq. vel amitt. poss. L. 3. §. 5. L. 29. ff. eod. L. 12. §. 2. f. ff. de Captiv. & poss. L. 19. ff. Ex quib. caus. maj. L. 44. ff. de Acq. vel amitt. poss.* indeque non ipso jure, sed facti, quo animo & corpore quid apprehenditur, acquiruntur, *L. 3. §. 1. L. 8. ff. eod. & cum (2) possessionis factum hæreat in persona defuncti, exstinguitur ejus morte; ea enim, quæ facti sunt, morte tolluntur, nec de persona in personam transeunt sine nova apprehensione, L. 23. ff. de Acq. vel omitt. poss. L. 1. §. 15. Si is, qui test. lib.* Unde (3) hæredes de novo apprehendere possessionem debere, disertis verbis traditur in *L. 30. §. p. ff. de Acq. vel amitt. poss.*

Repugnat igitur rationi juris eorum opinio, qui ipso facto possessiones consolidari ajunt: nam (1) nunquam acquiri potest possessio, nisi simul animo & corpore, adeoque facti, non jure consolidationis, *d. L. 1. d. L. 8. L. 153. in f. de R. J.* Unde (2) dominus, colono mortuo, non recuperat possessionem naturalem; nisi nova apprehensione, *L. 40. §. 1. ff. de Acq. vel amitt. poss.* Idque (3) de hærede diximus, *d. L. 30.* Adeoque (4) consolidationes non sunt in possessionibus, sed juribus & dominiis.





## TESTAM. QUEMADM. APER.

Qv. I. *An etiam testes ad publicationem testamenti citari debeant?*

*Laut. pag. 507. verb. ut & testibus.* **A**lii, semper id opus esse, contendunt, adeo, ut, si major eorum pars absit, ad absentes mitti debeat, *L. 4. §. h.* Alii in solo nuncupativo putant citari testes debere, *Zesf. in f. h.* Verum id rejicit *Coler. dec. 250. Struv. & Brunn. h. Hillig. 7. c. 6. lit. c. Carpz. p. 3. c. 3. d. 36. 37. 41.*

Equidem cum hi testes tantum ad recognoscendum citentur, *L. 4. L. 7. h.* nunquam omnia recognitio vitiat negotium, sed tantum ad plenioram probationem pertinet. In testamento nuncupativo testes jurant, se audivisse a testatore, cum aliunde non constet, sed id æque probari per duos testes, vel per instrumentum Notarii potest. *Carpz. d. l. def. 37.*

Qv. II. *An relatio ad archivum necessaria sit in testamento, privata autoritate confectio?*

*Dissentit Laut. pag. 507. verb. quae necessaria est.* **N**EGATUR, sed conducit saltem ad probationem, & necessaria est quoad perpetuam ejus fidem; quia testes, per quos probanda aliquando est publicatio, in perpetuum vivere non possunt.

Qv. III. *An valeat transactio de relictis in testamento non inspectis verbis testamenti?*

*Laut. pag. 507. verb. legendo.* **R**ESP. Transactio de relictis in testamento valet, etiam non inspectis verbis testamenti; (1) quia partes pro lubitu de jure suo disponere possunt, indeque v. g. legatarius, aliquo dato, aliquo accepto, renunciare ei, quod in testamento relictum est, potest: est enim revera hic transactio de spe lucri ex testamento eventuri, quæ res mere privati arbitrii est, *L. 10. L. 11. ff. de Haer. vend. L. 8. §. 1. de Contr. emt.* (2) Pactum gratuitum hic valere dicitur; *vid. Laut. pag. 54. in fin.* cur non & transactio; neque sane illa ratio differentiae exposita a Brunnem. *ad Wesf. tit. de transact. qu. 19.* aliquid momenti habet. (3) Neque solida aliqua ratio prohibitionis, neque textus pro sententia contraria afferri potest: (4) Evidentissime regula probatur ex *L. 12. ff. de Transact.* ubi qui

